



V Wolffgangus natus est patre Antonio dolia-
rio, & matre Angela sexto id. Septemb. An-
no 1497 in oppido Dusa, in finibus Germaniae &
Lotharingiae sito, haud procul Tabernis Alsatiæ.
Is cum felici ingenio esset præditus, à pueris ope-
ram literis tanta diligentia dedit, ut magis freno
quam calcaribus opus haberet, dum subinde pri-
mus & ultimus in schola existeret. Cum hoc mo-
do rudimenta Grammatices didicisset, paruo uia-
tico à parentibus dimittitur, ut in alijs scholis per-
geret, & pro more eius seculi ostiatim cantando ui-
tum sibi comparare. Itaq; primò Rapperschuuil
lam in Alsatiam ueniens, ludum uisitauit, & ab e-
ius loci generosis comitibus plurima beneficia percepit. Erat autem tum cele-
bris schola Selestadij. id cū intellexisset, sese eò contulit, & ludimoderatori ob-
præclaram indeolem acceptissimus fuit, præsertim cum sonoram uocem habe-
ret, atq; canendi artem mediocriter calleret. In eo loco ad 15 ætatis annum per-
mansit atq; Poëtarum lectione plurimùm delectatus fuit. Postea parētes inui-
surus ex itinere in pago Lixheim, sub dominio Lützelstein in finibus Palati-
natus, apud materteram Sophiam diuertit. Erat ibi celebre Benedictinorum
monasterium. Itaq; cum uespertini cantiones instarent, Sophia hunc Vuolff-
gangum secum ad templum duxit, atq; cum alijs pueris canere iussit.